



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

CCII. Albert, Markgraf von Brandenburg, vereignet dem Nonnenkloster  
Dobbertin die Dörfer Swertze, Zetim und Dymitz, am 21. Januar 1282.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

**CCI.** Otto und Konrad, Markgrafen von Brandenburg, schenken den Mönchen in Colpin die Pfarre zu Petersdorf unter der Bedingung, die Gedächtnisfeier ihres Bruders Johann, so wie der Markgräfin Constantia, Prinzessin von Polen, alljährlich zu begehen, am 30. October 1281.

In nomine sancte et individue trinitatis Amen. Otto et Conradus, dei gracia Brandenburgenses marchiones, omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem inperpetuum. Quoniam omnes stabimus ante tribunal Cristi, recepturi prout in corpore gesimus, siue bonum fuerit siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire, Quatenus seminemus in terris, quod annuente domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis. Hinc est, quod notum esse cupimus, tam futuris quam presentibus. Quod pia dei moti misericordia, eterne cupientes prouidere messionis semini, quod qui defecit in semine in messe aliquatenus non gaudebit, fratribus de sancto victore, in colpino degentibus, ecclesiam parochialem ville peterstorp cum suis attinenciis dedimus, vt cum XX<sup>ii</sup> mansis, quos dederamus eidem in colpino prehabito, cum omni iure totaliter proprietatis tytulo possideant eternali, hoc solum condicto, quod in prefato colpino qui celebrent cottidie pro nostris progenitoribus, pro nobis quoque et nostris successoribus vniuersis, specialiter pro fratre nostro Johanne defuncto, pie memorie, Insuper et domina constantia polonicali, tres vel quatuor habeant sacerdotes, qui eciam per vnum eorum parochialem ecclesiam officient antedictam. Hoc autem fecimus sperantes seminando taliter fructum exinde consequi sempiternum. Huius rei testes sunt milites nostri Bertheramus de benz, Johannes de Griphenberg, Johannes de oldenulete, Johannes de plouen Dapifer, Georgius de brewiz pincerna et alii fide digni. Ne vero tam pia et rationabilis nostra donacio a nostris aliquando irritetur successoribus, presentem iussimus conscribi paginam, quam ad maioris euidentie cautelam dedimus pretaxatis fratribus sigillorum nostrorum munimine roboratam. Actum Nyendorpe in terra iuxta Zvet, Anno domini M<sup>o</sup>. CCLXXXI<sup>o</sup>., tercio kalendas nouembris. Datum ibidem per manum domini Meynardi, nostri notarii et capellani.

Aus der Matrifel des Klosters Jansen im K. Provinzial-Archive zu Stettin, mitgetheilt vom K. Archivar Baron von Medem.

**CCII.** Albert, Markgraf von Brandenburg, vereignet dem Nonnenkloster Dobbertin die Dörfer Swertze, Zetim und Dymiz, am 21. Januar 1282.

In nomine Domini Amen. Nos Albertus, Dei gratia marchio Brandenburgensis, omnibus in perpetuum. Noverint vniuersi et singuli, tam futuri temporis quam presentis, quod ob reverenciam Domini nostri Jesu Christi et sue pie matris Marie virginis gloriose, ecclesie Sanctimonialium in Dobbertin, Ordinis S. Benedicti, proprietatem villarum Swertze et Zetim, cum iure patronatus, ac eciam villam Dymiz, quam Wolterus dictus de Malchowe miles vendidit pro trecentis marcis denariorum ecclesie memorate,

liberalitate propria donavimus perpetue possidendas, inferentes, ut dicta ecclesia fruatur in possessione villarum prehabitarum omni plenitudine iudicij secularis & perfecta gaudeat libertate, ab exactione qualibet, precaria & quolibet servicio omnino libera & exempta, nichil nobis in eisdem villis juris seu servicii reservantes. Volumus nichilominus, ut supradicta ecclesia Dobertinenfis utatur omni jurisdictione, videlicet silvis, pratis, paschuis, piscationibus, aquis aquarumve decursibus, agris cultis & incultis, vallibus et collibus, cum certis dictarum villarum terminis deputatis. In hujus quidem rei evidenciam pleniorum presens scriptum fieri iussimus ex certa nostra scientia & sigilli nostri munimine roborari. Testes vero hujus rei sunt nostri milites Helmar de Dramsene, Arnoldus jaghowe, Ghevert de Alvensleve, Hermannus de boyster, Johannes de Croghe, Johannes de Numelose (Cumelose?), Zabellus de Reddigstorp, Hinricus Soneke, Hinricus Misnerus, Petrus de Wotenowe, Bernardus & Hinricus fratres de Peccatle, Fridericus Dargaz, & alij quam plures viri ydonei & honesti. Acta sunt hec anno Domini MCCLXXXII. Datum Wefenbergh XII Kalendas Februarij.

Nach von Rudloff, Cod. dipl. hist. Meg. I, 107. 108.

**CCIII.** Markgraf Albrecht von Brandenburg überläßt der Stadt Friedland den Markt Zoll daselbst, am 20. Februar 1282.

Nos Albertus, Dei Gratia Brandenburgensis Marchio, recognoscimus et tenore presentium protestamur, quod dilectis nostris Civibus in Fredelandt, ob ipsorum preclara merita, ut ipsius valeant amplius disponere commoda Civitatis, et ejusdem Civibus et civitati prehabite forensis Thelonium donavimus (iure) proprio perpetuo possidendum. Et ut nullum super premissis eisdem dubium oriatur, et a nobis et nostris heredibus perpetuis temporibus inviolabiliter et plenius observentur, presentem paginam scribi iussimus et sigilli nostri munimine roborari, in evidens Testimonium et memoriam sempiternam. Hujus rei Testes sunt dominus Hemp., dominus Spula, dominus Guntherus de Reberg, dominus Otto de Walckenberg, dominus Friedericus de Osterwolde et Otto de Stargardt, tunc temporis Advocatus, et alij quam plurimi fide digni. Datum Soldwedel, Anno Domini MCCLXXXII. X. Calend. Martii.

Nach Kllver a. a. D. II, 140. und Franke's Alt und neu Mecklenb. V, XII, 84. mit Verbesserung augenscheinlicher Fehler.

**CCIV.** Beatrix Markgräfin von Brandenburg schenkt dem Hospitale zu Görlitz zwei Hufen Landes im Dorfe Gerwickesdorf, am 8. März 1282.

In nomine Sancte Trinitatis Amen. Negotia, que geruntur in tempore, ne naturam sequantur temporis delabentis, eternari solent memoria litterarum nec non appensionibus sigil-